



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit Christum induere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Sic 1. Cor. 5. luxuriosus traditur Sathane, quoad temporalem pœnam &c. At Christus suo sanguine liberavit omnes credentes de æterna pœna, id est, culpa, non autem ab omni temporaria pœna, infirmitatibus, angustijs, tribulationibus, morte, &c. Sed illa mitigari & extingui possunt nostris orationibus, ieiunijs, laboribus, sicut patet de Niniuitis, Ionæ. 3. Et ad illum etiam finem excogitati sunt canones pœnitentiales, ubi Ecclesia tanquam pia mater præuenit iram Dei, quoad temporarias pœnas: item eò conducunt indulgentiæ. Sed ab æterna pœna & culpa solū Christi meritum saluat.

CAPVT XXXII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Christum induere.*
2. *Quando contingit illa induitio Christi.*
3. *Quid sequi debeat illam induitionem Christi.*



Postolus in epist. ad Roma. docet nos Christum induere debere, vt cap. 13. Induimini Dominū nostrum Iesum Christum. Est autem Christum induere, nihil aliud, nisi effici participem bonorum Christi ac communicari. Et fit in Spiritu & fide, quādo anima sic acceptat Christi iustitiam, redemptionem, omnemque gratiam, vt verissimè & certissimè credam mihi cum filio omnia filij bona esse donata, & mea propria fore, sicut Apostolus Roman. 8. ait Qui dedit filium, quomodo non omnia cum filio? Nam hæc est propria & vera conditio fidei, vt quis certò credat & teneat, quòd omnia Christi, sua sunt, vt liberè dicere possit, Christi iustitia, redemptio, mors, resurrectio, mea sunt. Hæc enim Fides communicat omnia bona Christi. Sicut ergo homo vestimentum suum induit, & dicit esse suum proprium.

Sic Fides in Christum, vestit & communicat nobis Christi iustitiam, & facit esse nostram. Et hoc est Christum spiritualiter induere, & se vestire operibus Christi. Hęc maxima nostra est consolatio, quòd habemus aliam iustitiam, sanctitatem, perfectionem, &c. scilicet Christi, quam Fides nobis facit propriam: in Christi ergo iustitia & merito confidimus contra peccatum, legem & Sathanam, non propria nostra iustitia & perfectione, quam Paulus vt stercora reputat, Philippens. 3.

Hęc Christi induitio fit in Baptismo, sicut ait Apostolus Gal. 3. Quotquot baptizati estis, Christū induistis: id est, bonorum Christi cōmunicationem accepistis. Vt ergo Christus diligitur à Patre, ita & nos propter Christum diligimur, & regni capaces ac hæredes efficiamur, Rom. 8. Quando igitur baptizamur, & in Christum credimus, ad hęc Christi bona intramus. Hic in Baptismo Christus incipit esse nostra iustitia, via, veritas & vita, Ioan. 14. Et sic vita nostra abscondita est in Christo Iesu, Colof. 3. Ab Adam accipimus & participes sumus iniustitiæ, peccati, atq; mortis æternę, in quo omnes peccauimus, Rom. 5. Adam, quia caput & radix peccati, ergo omnes eius fructus sunt mali & peccatores: At Deus pater statuit hoc mediū, vt qui cupit liberari à peccato primi parentis, is credat in filium suum Christum, quem idè dedit mūdo, vt omnis qui credit in illum, non pereat, Ioan. 3. Et ita fit, vt sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur, 1. Cor. 15. Vt igitur Adami hæreditatem, quod est peccatum, contraximus omnes ex prima natiuitate, sic in Baptismo, dum renascimur, participamus bona Christi: & idè Christus misit discipulos suos in mundum vniuersum, vt hoc vbiq; denunciarent Euangelium, id est, bonum nuncium, Marc. 16. Nam hęc est ordinatio diuina, quòd propter Christi iustitiā & mortem, nos vult reputare sanctos